



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. XIII. De perfectione gratiæ Christi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

art. 2. ad 3. unde 2. Petri 1. vocatur *Lucerna lucens in caliginoso loco*. At cognitio quam Christus habuit de rebus futuris, non fuit obscura & enigmatica, sed clara & evidens, alias fuisset in eo fides: Ergo talis cognitio ad donum prophetiae non pertinuit, sed ad visionem beatam, vel scientiam infusam animae Christi.

124. Propter hæc & similia argumenta, Abulensis in cap. 11. Numer. quæst. 64. & Matth. 16. quæst. 4. docet prophetiam non fuisse in Christo proprie & formaliter, sed improprie tantum ac eminenter; & ipsum non fuisse verè prophetam, sed tantum secundum vulgi æstimationem. Cuius sententiae favere videtur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. Nihilominus

125. Dicendum est cum S. Thoma hic art. 8. in Christo fuisse verè & proprie donum seu gratiam prophetiae. Quod probat primò ex variis Scripturae locis, in quibus Christus vocatur Propheta, ut Lucæ 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*. Et 24. *Qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone*. Quin etiam ipsemet Christus Matth. 13. seipsum vocavit Prophetam, dicens: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua*. At hæc Scripturae testimonia improprie & metaphorice intelligere, nihil cogit, ut ex solutione argumentorum patebit: Ergo, &c.

126. Probatur deinde hoc discursu: Ille dicitur Propheta, qui ea præcognoscit & annuntiat quæ procul sunt ab aliorum viatorum notitia, cum quibus ipse habitat: nam Propheta dicitur quasi *procul fans*, vel *procul videns*, ut dicit Augustinus lib. 16. contra Faustum: Sed Christus Dominus quam plurima cognovit & annuntiavit, quæ procul erant à sensibus viatorum cum quibus ipse habitabat; fuit enim viator secundum corpus passibile, quamvis secundum partem superiorem fuerit comprehensor: Ergo Christus verè & proprie propheta fuit. Unde

127. Ad primum in contrarium quod in ratione dubitandi adducitur, respondetur distinguendo Majorem: Prophetia non stat cum beatitudine & clara visione illius qui est totaliter comprehensor, concedo Majorem. Cum beatitudine & clara visione illius, si simul est viator, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

128. Explicatur solutio ex doctrina quam tradit S. Doctor hic art. 8. ubi docet quod ut aliquis sit Propheta, non sufficit quod revelet utcumque ea quæ procul sunt ab hominum cognitione; si enim Deus vel Beatus manifestaret nobis aliquid quod procul est à nostra cognitione, non esset propterea Propheta; sed ultra requiritur quod Propheta convictum habeat cum illis quibus prophetat, seu quod cognoscat, si ve annuntiet quæ tam ab ipso secundum suum statum, quam ab aliis longè distant. Licet autem Christus fuerit beatus atque comprehensor, cum tamen fuerit etiam viator, secundum quem statum plura quæ revelabat, longè distabant non solum ab aliis, sed etiam ab ipso, potuit in eo esse prophetia, quamvis non possit esse in aliis beatis, quia illi nullo plane modo pertinent ad Ecclesiam militantem, neque ullum commercium vel convictum cum aliis viatoribus habent.

129. Ad secundum dicendum non esse de ratione prophetiae quod detur per modum motionis, & communicationis transeuntis, sed hoc illi competere per accidens ratione subiecti in quo est: unde licet fuerit hoc modo communicata aliis Prophetis, in

A Christo tamen, ratione conjunctionis animæ ejus ad Verbum, fuit prophetia permanenti: Christus enim propheta bat quando volebat, ut disertè docet Chrysostomus homil. 3. in Matth. Unde Isaiæ 11. dicitur: *Requiescet super eum spiritus Domini*. Ubi verbum illud *requiescet*, innuè omnia Spiritus Sancti dona, subindeque prophetiam, in Christo fuisse permanentem, & quoad habitum; non verò per modum motionis & auxilij transeuntis, sicut in aliis Sanctis & Prophetis.

Ad tertium similiter respondetur, obscuritatem non esse de essentia prophetiae, ut docet S. Thomas hic art. 8. ad 1. & Cajetanus 2. 2. quæst. 171. art. 5. sed per accidens illi conjungi ratione subiecti; sicut non est de essentia nostre Theologiæ

B quod innitatur principiis obscurè cognitis, vel evidenter, sed ratione statûs in quo innititur principiis fidei, ut in nobis, vel principiis evidentet cognitis, ut in beatis; unde in disputatione præmiali Theologiæ diximus illam remanere in patria. Quando ergo D. Thomas 2. 2. quæst. 174. art. 2. ad 3. dicit prophetiam esse cognitionem obscuram, non intendit obscuritatem illi convenire per se & essentialiter, sicut competit fidei, sed per accidens tantum & accidentaliter, vel ut alij dicunt permissivè: ita ut prophetia de se neque obscuritatem neque claritatem importet, sed utramque permittat; de ratione enim prophetiae solam est ut sit cognitio eorum quæ longè distant ab hominum sensibus, atque ab ordinaria cognitione viatorum, ut docet idem S. Doctor hic art. 8. in corp. Ad testimonium verò D. Petri in contrarium adductum, dicendum est, prophetiam vocari ab Apostolo, *Lucernam lucentem in caliginoso loco*, quia illuminat eos qui non sunt comprehensores, & datur ad utilitatem eorum qui in hac vita ambulant cum obscuritate fidei.

DISPUTATIO XIII

D De perfectione gratiæ Christi.

P Ost constitutam veritatem gratiæ habituales creatæ efficientis animam Christi, expendenda sequitur ejus perfectio seu quantitas; & declarandum superest, an illa possit sub aliqua ratione dici infinita simpliciter, & in anima Christi augeri, de quo S. Doctor art. 11. & 12. quæstionis septimæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

E Virum gratia Christi habitualis infinita sit?

P Ro resolutione hujus difficultatis, notandum est, gratiam Christi tripliciter considerari posse, Primò ut est accidens seu qualitas physica, & penes ordinem quem dicit ad subiectum in quo recipitur. Secundò in esse gratiæ, & penes ordinem ad effectus ad quos se extendit. Terriò in esse moris, & secundum valorem, & moralem æstimationem quam habet. His præmissis sit

§. I.

Difficultas proposita triplici conclusione resolvitur.

2. **D**ico primò: Gratia Christi, ut est accedens physicum, seu qualitas in subiecto recepta, non est infinita gradualiter, seu intensivè. Est contra Majorem in 3. dist. 13. quæst. 3. ubi asserit gratiam Christi esse simpliciter infinitam secundum intensionem, hancque fuisse olim plurimum Doctorum Parisiensium sententiam, testatur Almainus ibidem quæst. 2. conclus. 1. Ex Recentioribus veto illam docent Maldonatus Lucæ 2. versu 40. & Hurtadus disp. 13. Phys. §. 47.

3. Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos, eamque tradit S. Doctor hic art. 11. his verbis: *Gratia habitualis Christi secundum quod est quoddam ens, necesse est quod sit ens finitum, est enim in anima Christi sicut in subiecto: anima autem Christi est creatura quedam, habens capacitatem finitam, unde esse gratia cum non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum.* Ubi nota quod D. Thomas per ens aut per esse gratiæ intelligit quamcumque rationem ejus physicam, nam probatio procedit de quacumque illa. Quando autem subdit, quod capacitas etiam obedientialis creaturæ est finita, loquitur de capacitate ad actum habendum, nam ad habendum in potentia, seu syncategorematicè, est infinita, quia datâ quacumque intensione actuali formæ in infinitum intensibilis, potest illam magis intensam habere, nunquam tamen potest illam habere actu infinitam.

4. Deinde idem S. Doctor 1. part. quæst. 7. negat absolute posse dari extra Deum aliquod infinitum, sive secundum essentiam, sive secundum magnitudinem, sive secundum multitudinem, sive secundum intensionem. Et quamvis aliquod infinitum, secundum aliquam ex his perfectionibus seu rationibus, de potentia absoluta esset possibile, tamen nullum de facto dari ex Scriptura colligitur, quæ asserit Sapient. 11. Deum omnia fecisse in numero, pondere, & mensura.

5. Tertiò, Gratia infinita correspondet gloria infinita, cum gratia sit semen gloriæ: Sed non potest admitti gloria infinita in Christo, in quantum est homo, quia si in ejus intellectu esset lumen gloriæ infinitum, visio beatifica ei correspondens esset infinita simpliciter, & ita adæquaret infinitam Dei visibilitatem, ac Deum comprehenderet, quod nullus concedit, ut patebit infra cum agemus de scientia beata animæ Christi: Ergo nec gratia infinitè intensa.

6. Confirmatur: Sicut Deus à creatura videri nequit quantum visibilis est, ita nec amari quantum diligibilis est: At si gratia Christi esset gradualiter & intensivè infinita, anima Christi diligeret Deum quantum diligibilis est: Ergo &c. Minor probatur: Charitas infinita inclinat ad amandum Deum modo infinito, atque adeò quantum amabilis est: Sed si gratia Christi sit intensivè & gradualiter infinita, etiam charitas ejus ab ipsa dimanans infinita erit, cum proprietas proportionari debeat essentia à qua dimanat: Ergo si gratia Christi sit infinitè intensa, ejus anima diligeret Deum quantum diligibilis est.

7. Denique suaderi potest conclusio hac ratione. Implicat gratia habitualis cui ab intrinseco repugnet sui augmentum mereri: Sed illud repugnet gratiæ infinitè intensæ: Ergo talis gratia implicat. Minor patet, nam gratiæ infinitè intensæ

Tom. IV.

A repugnet ab intrinseco augeri, cum infinito, in eo genere in quo est infinitum, additionem fieri repugnet, aliàs daretur unum infinitum majus alio in eo genere in quo est infinitum, quod implicat, sicut & unam lineam alterâ majorem esse, eo ipso quod in ratione lineæ infinita sit: Ergo gratiæ infinitè intensæ, repugnet ab intrinseco sui augmentum promereri. Major verò suadetur: Gratia habituali convenit ab intrinseco esse principium meriti incrementi sui ipsius, sicut viventibus naturalibus convenit ab intrinseco proprium augmentum causare: Ergo implicat habitualis gratia, cui ab intrinseco repugnet sui augmentum mereri.

B Dices, gratia convenire esse augmentativam sui ex prædicato specifico, quod autem gratiæ infinitè intensæ repugnet augmentum sui mereri, provenire ex infinita intensione, quæ est extra essentiam, & ex diversis principiis prædicata opposita eidem posse convenire.

Sed contra: Intensio gratiæ est ejusdem rationis cum gratia: Ergo quod convenit gratiæ ratione suæ essentia, ex qualibet magna intensione ipsi repugnare nequit.

C Dico secundò: gratia Christi in ratione gratiæ infinita est. Ita D. Thomas hic art. 11. ubi sic discutit: *Alio modo potest considerari gratia secundum propriam rationem gratiæ, & sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur, quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundum aliquam certam mensuram, id quod ad rationem gratiæ pertinet, eo quod secundum propositum Dei cuius est gratiam mensurare, gratia confertur anime Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud Ephes. 1. Gratificavit nos in dilecto Filio suo: sicut si dicatur lux Solis esse infinitam non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis: quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest.* Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit: Nam gratia sub ratione gratiæ pensatur per ordinem ad effectus ad quos se extendit vel extendere potest: Sed gratia Christi, quantum est de se, potest se extendere ad infinitos effectus, nempe ad infinitorum hominum redemptionem, & sanctificationem, eo quod in illo gratia reperiatur tanquam in capite: Ergo gratia Christi, in ratione gratiæ considerata, infinita dici potest.

D Confirmatur exemplo quod D. Thomas adducit: Quia enim lux est in Sole, tanquam in universali principio, quod potest illuminare infinitos homines, saltem successivè, & habere omnes effectus lucis, in ratione lucis infinita dicitur: Ergo similiter cum gratia sit in Christo tanquam in capite, & in universali principio, & possit se extendere ad infinitos effectus, & sanctificare infinitos homines, si darentur, debet dici infinita in ratione gratiæ.

E Confirmatur ampliùs: Gratia data fuit humanitati Christi sine mensura, juxta illud Joan. 3. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum Filio,* quod intelligendum esse non solum de gratia unionis, sed etiam de gratia habituali, docet S. Thomas hic art. 11. ad 1. & super cap. 3. Joan. lect. 4. hancque interpretationem præferendam censet qu. 29. de verit. art. 3. cum tamen aliis ad mensuram detur gratia, juxta illud Pauli ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum datur gratia, secundum mensuram donationis Christi.* Ergo gratia Christi habitualis, sub

A A a ij

aliqua ratione sine mensura intelligitur: Sed quod est sine mensura, infinitum est, nam omne finitum mensuram habet: Ergo gratia Christi habitualis, sub aliqua ratione infinita est; unde cum sub ratione entis vel qualitatis, non sit infinita, ut conclusione precedenti ostendimus, saltem in ratione gratiæ infinita dici debet.

22. Dico tertio: Gratia habitualis Christi, in esse moris considerata, seu secundum quandam dignitatem moralem quam habet à supposito Verbi Divini cui conjungitur, infinita dici debet.

Probatur conclusio ex fundamentis disp. 4. statutis: Nam, ut ibi ostendimus, gratia habitualis Christi Domini, propter habitudinem ad personam Verbi infinite dignam, cui conjuncta est, fuit principium quo operationum infiniti valoris, ratione cuius fuerunt meritoria præmij infiniti, & satisfactoria, etiam de toto rigore iustitiæ, pro debito infinito generis humani: Sed gratia habitualis Christi non potuisset esse principium quo operationum infiniti valoris, nisi fuisset in esse moris infinita, & infinitum valorem & dignitatem ex persona Verbi cui conjungitur recepisset; effectus enim non est perfectior causâ, nec actus secundus potest excedere primum: Ergo gratia habitualis Christi, in genere moris, & secundum valorem & moralem estimationem quam habet ex conjunctione ad Verbum, infinita dici debet. Hic autem valor infinitus non fundatur in sola extrinseca acceptatione talis gratiæ & ejus meritis, ad præmium simpliciter infinitum, ut docuit Marsilius in 3. dist. 10. art. 1. alias enim cum Deus potuerit acceptare gratiam etiam puræ creaturæ ad infinitum præmium, & ad satisfaciendum pro infinitis peccatis, si essent, nihil amplius ad perfectam reparationem generis humani contulisset incarnatio Verbi, quam quod conferre potuisset meritum puræ creaturæ, ut loco citato fusè expendimus: sed desumitur ex habitudine & ordine transcendentali ad personam Verbi, cui ut principio quod actionis meritoria & satisfactoria conjungitur.

23. Ex his intelliges, gratiam habitualement Christi, triplici titulo debere dici infinitam. Primo moraliter, quia est conjuncta cum ipso supposito divino, ex qua conjunctione dignitatem quandam & excellentiam habet infinitam; nam ratione hujus conjunctionis infinitæ meritoria & satisfactoria. Secundo, gratia Christi habitualis potest dici infinita, veluti extensivè, quia scilicet ita meritoria erat gratia & redemptionis hominum, ut non limitaretur ad aliquos homines, sed quantum est de se poterat se extendere ad infinitorum hominum redemptionem. Tertio dici potest infinita, quia ut ostendimus articulo sequenti, habuit totam plenitudinem & intensiorem, quæ de potentia Dei ordinaria possibilis est: quare, ut infra dicemus, superat in intensiorem omnem gratiam Angelis & hominibus concessam, etiam collectivè sumptam; & hoc quia ordinatur ad unionem hypostaticam, quæ est maxima omnium unionum, per modum dispositionis, non quidem antecedentis, sed concomitantis talem unionem, ut disp. 10. art. 2. declaravimus. Unde S. Thomas 3. ad Annibal. dist. 13. art. 3. triplicem infinitatem gratiæ Christi concedit, primam quantum ad actum, quia concurrebat ad actum infinite potentia cui conjuncta erat. Secundam quantum ad eos in quos poterat operari. Tertiam quoad rationem medij, quia disponebat ad unionem

A extremorum infinite distantium. Addit etiam quartam quam habuit in ratione gratiæ, quia quidquid fuit de ratione gratiæ, totum illi fuit collatum.

Quæres, an gratia Christi debeat dici infinita simpliciter, vel tantum secundum quid?

Pro resolutione hujus quæstionis, observandum est cum D. Thoma 2. 2. quæst. 58. art. 10. ad 2. & infra quæst. 50. art. 5. aliquid posse dici simpliciter tale duobus modis, uno modo secundum quod simpliciter idem est ac absolute & sine addito; alio modo secundum quod simpliciter, idem sonat quod totaliter & omnibus modis. Hoc præmissum.

B Dicendum est, gratiam habitualement Christi posse dici infinitam simpliciter, primo modo, non verò in secundo sensu.

Prima pars hujus resolutionis probatur primo ex communi modo loquendi SS. Patrum, qui absolute & sine addito vocant gratiam Christi infinitam. Secundo, quia ut gratia Christi habitualis dicatur infinita sine addito, sufficit quod sit infinita in genere suo, & in esse gratiæ, nec est necessarium quod omnibus modis sit infinita: nam linea quæ secundum longitudinem esset infinita, absolute & sine addito diceretur linea infinita, quia in genere suo esset infinita: Sed gratia Christi in esse gratiæ infinita est, ut 2. conclusione ostendimus: Ergo sine addito dici potest infinita. Tertio, Meritum Christi & ejus satisfactio sunt simpliciter infinita, ut disp. 4. dictum est, cum de satisfactione Christi ageremus: Ergo & gratia Christi quæ erat principium infiniti meriti & satisfactionis, sine addito infinita dici potest.

Secunda verò pars, quæ asserit gratiam Christi in secundo sensu, id est omnibus modis, infinitam dici non posse, manifesta est; tum quia non est infinita in genere entis, neque in esse qualitatis, ut conclusione 1. ostensum est: tum etiam, quia solus Deus omnibus modis infinitus est.

§. II.

Præcipuæ objectiones solvuntur.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Gratia habitualis Christi fuit summa & immensa, nam Christus illam sine mensura recepit, juxta illud Joan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio*: Sed quod est summum & immensum, est intensivè infinitum in his quæ ex natura sua possunt crescere in infinitum: Ergo gratia habitualis Christi intensivè infinita est.

Respondetur negando Majorem, ad cujus probationem dicendum verba adducta ex Evangelio tripliciter intelligi & exponi posse. Primo ratione doni quod Pater dedit Filio ab æterno, scilicet ratione Divinitatis, quæ donum infinitum est; unde Glossa interlinearis ait: *Plenus sit Filius, quantum Pater*, quod solum de Christo ut Deo verificari potest, nam ut homo minoratus est pauper ab Angelis. Secundo ratione doni quod humanitati in Incarnatione concessum est, ratione scilicet unionis hypostaticæ, quæ est gratia simpliciter infinita. Tertio ratione gratiæ habitualis, non quia sit physicè & intensivè infinita, sed quia moraliter & extensivè infinita dici potest, & summa de potentia Dei ordinaria, ut secundà & tertià conclusione declaravimus.

Obijcies secundò: Gratia habitualis Christi ex conjunctione ad Verbum comperit esse sanctifi-

cativam sine termino, hoc est causativam gratiæ infinitorum hominum, si darentur, non solum meritorie & moraliter, sed etiam efficienter physice: Atqui vis effectiva, syncategorematicè infinita, non potest convenire formæ non infinitæ intensivè: Ergo gratia habitualis Christi intensivè infinita est.

19. Respondeo distinguendo Majorem, illamque concedendo de physica efficientia instrumentali, negando autem de efficientia principali; & sub eadem distinctione Minoris, negando Consequentiam. Nam ut gratia Christi sit instrumentaliter causativa gratiæ sanctificantis sine termino, non est necessarium quod aliqua formâ physicâ permanente afficiatur, ratione cujus actu omnem gratiam quam causare potest contineat, ac per consequens non requiritur quod actu infinita sit, sed sufficit quod sit potens elevari per motionem transeuntem à causa principali impellam.

20. Instabis, Gratiæ habituali Christi convenit ex conjunctione ad Verbum esse in actu causativam physice gratiæ sanctificantis sine termino: Ergo nulla solutio. Consequentia patet, Antecedens probatur. Calor ex conjunctione ad ignem est in actu causativus physice instrumentaliter ignis: Ergo pariter gratia habitualis Christi, ex conjunctione ad Verbum, est in actu constituta ad causandam physice instrumentaliter gratiam sanctificantem sine termino.

21. Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, nego consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia calor seipso physice dimanat ab igne, eique subordinatur, & ideo est potens ad producendum ignem in virtute ignis, intransitive, non transitive, ut loquitur Cajetanus: id est non per virtutem à calore realiter distinctam, derivatam ab igne; sed quia calor suâ entitate est virtus ignis, eique subordinatur, ut docent nostri Thomistæ in Philosophia: Gratia autem habitualis Christi non sic comparatur ad Verbum, & ideo per seipsam non est constituta in actu ad producendam physice instrumentaliter gratiam in hominibus, sed ad hoc indiget motione divinâ, per quam elevatur, & constituitur in actu ad illam physice instrumentaliter causandam.

22. Addo quod, conjunctio caloris ad ignem est conjunctio formalis, quia est conjunctio formæ accidentalis & inferioris ad formam substantialem & superiorem, cui intrinsecè subordinatur, ac per consequens ab ea participat intrinsecam virtutem ad producendum ignem. Conjunctio autem gratiæ habitualis Christi ad Verbum, non est conjunctio formalis, sed solum secundum suppositum, vel in supposito, quæ conjunctio suppositalis appellari potest, quia Verbum non habet rationem formæ, sed suppositi, & termini completis naturam humanam: suppositum autem terminans, in ratione terminantis, non constituit in actu primo potens ad causandum, sed solum compler naturam, & constituit principium operativum ut quod.

23. Objicies tertio: Christus non potuit esse magis gratus Deo, nec magis illi unitus, quam sit de facto: Sed si gratia ejus habitualis esset gradualiter & intensivè finita, Christus posset esse magis gratus Deo, illique magis unitus: Ergo gratia habitualis Christi gradualiter & intensivè finita non est. Major patet, quia Pater æternus Filium suum unigenitum infinitè diligit: Ergo non potest

Tom. IV.

A illi esse magis gratus & acceptus. Minor verò probatur: Effectus formalis gratiæ sanctificantis est reddere hominem Deo gratum & acceptum: Sed si gratia Christi sit intensivè finita, potuit augeri, & fieri major, seu intensior: Ergo Christus potuit esse magis gratus Deo, illique magis acceptus.

Respondeo distinguendo Majorem: Christus non potuit esse magis gratus Deo, gratitudine personali, concedo Majorem, gratitudine formali, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis: Christus enim (ut supra ostendimus) duplici titulo fuit gratus Deo, illique unitus; ratione scilicet unionis hypostatice, seu divinæ personalitatis, humanitati illius substantialiter conjunctæ; & ratione gratiæ habitualis & sanctificantis, quæ est qualitas creata animæ inhaerens. Ex primo capite Christus est infinitè gratus Deo, & infinito modo illi unitus, non autem ex secundo, præsertim si gratia in esse physico duntaxat consideretur; cum enim sub hac consideratione finita sit, etiam constituit Christum gratum finito modo, gratitudine formali: quia tamen considerata in esse moris, infinita est, ob conjunctionem cum gratia unionis, ut conclusionem 3. declaravimus, in illo ordine efficit suum subiectum infinitè gratum, redditque operationes Christi infinitè meritorias & satisfactorias.

C Objicies quarto: Si gratia Christi esset intensivè finita, purus homo posset ad illius perfectionem seu intensionem pertingere, imò & illam superare, cum gradus finitus cujuslibet formæ adæquabilis & superabilis sit: Sed hoc videtur absurdum, & gratiæ Christi injuriosum: Ergo & illud.

Hoc argumento ducti Begardi affirmabant olim deveniri in hac vita ad certum charitatis & gratiæ terminum, ultra quem homo progredi nequeat bene faciendo atque merendo: timebant enim ne si hoc darent, sequeretur aliquem purum hominem excedere Christum, charitate & gratiâ sanctificante. Sed hic metus vanus planè fuit, quia mensura gratiæ sanctificantis ad quam de facto quis perventurus est, non obtinetur nisi juxta vires & auxilia, quæ à Deo supernaturaliter exhibentur: illis autem Deus ex sua infinita providentia certum terminum præfixit, sicque datur terminus extrinsecus gratiæ & charitatis per puros homines obtinendæ, qui nunquam terminum & perfectionem gratiæ & charitatis Christi attinger.

D Objicies quinto contra secundam conclusionem: Nihil potest esse majus infinito: Sed per potentiam Dei absolutam, potest dari major gratia, etiam in esse gratiæ, quam sit gratia Christi habitualis: Ergo hæc in ratione gratiæ infinita non est. Minor probatur. Gratia Christi non se extendit ad merendam Incarnationem Patris, vel Spiritus Sancti, nec etiam ad causandam gratiam Angelis & primis parentibus in statu innocentie, ut infra ostendimus, nec similiter ad salvandos reprobos: Sed Deus potuit conferre gratiam quæ se extenderet ad omnes illos effectus: Ergo potuit causare gratiam majorem in esse gratiæ, quam sit ea quæ humanitati Christi communicata fuit.

E Respondeo negando Minorem, ad cujus probationem dicendum est, gratiam Christi, quantum est ex parte sua, habuisse sufficientem virtutem ad merendam Incarnationem Patris & Spiritus

AAA iij

Sancti, & similiter ad causandam gratiam in Angelis & primis parentibus; quia tamen Christus Dominus de facto non ordinavit propria merita ex gratia procedentia ad tales effectus, de facto non se extendit ad illos.

28. Obijcies sexto: Gratia in esse gratiae reddit hominem acceptum ad gloriam: Sed gratia habitualis Christi non reddit illum acceptum ad gloriam infinitam: Ergo non est infinita in ratione gratiae.

29. Respondeo primò, acceptionem ad gloriam per modum hereditatis, praestari à gratia habituali, prout qualitas physica est, subindeque gloriam, ut hereditatem, debere commensurari cum physica entitate illius, posse tamen dari alteram acceptionem ad gloriam per modum praemij & coronae, quae actibus meritoriis correspondet; & istam reddere Christum acceptum ad gloriam infinitam, cum in actibus meritoriis Christi, quantum est de se, condignitas infinitae gloriae detur.

30. Secundò responderi potest cum Joanne à S. Thoma, concessa absolute Majori, negando Minorem: sicut enim gratia Christi, ut conjuncta Verbo, est infinita moraliter, ita dat acceptionem ad gloriam infinitam, non quidem physice & intensivè, sed moraliter & appetitivè; quia etià ipsa gloria Christi habet infinitum valorem & aestimabilitatem ex conjunctione ad Verbum, & ex eo quod actibus meritoriis Christi, qui in genere moris sunt valoris infiniti, correspondet.

31. Obijcies septimò: D. Thomas hic art. 11. docet gratiam Christi posse dici infinitam, sicut lux Solis infinita dicitur: Sed lux Solis non est infinita simpliciter in ratione lucis, aliàs omnem lucis perfectionem contineret: Ergo pariter gratia habitualis Christi non est infinita simpliciter in ratione gratiae, vel in esse moris.

32. Respondeo illam similitudinem D. Thomae non tenere in omnibus, sed in hoc quod sicut lux Solis non determinatur ad hunc vel illum effectum in particulari, sed generaliter se extendit ad omnes effectus lucis; ita gratia Christi generaliter se extendit ad omnes effectus possibiles gratiae, ut supra dictum est. Differentia tamen est inter gratiam Christi, & lucem Solis, quoad hoc quod lux Solis habet solum esse physicum, nec participat aliquam dignitatem moralem ex subiecto in quo est: At verò gratia Christi non solum habet esse physicum, ratione cujus est finita in genere physico; sed etiam participat dignitatem quandam moralem ex supposito divino in quo est; & quia haec dignitas est simpliciter infinita, gratia Christi, in esse gratiae, vel in esse moris spectata, dicenda est simpliciter infinita; lux autem Solis non est dicenda simpliciter infinita, sed tantum cum addito, vel secundum quid.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

33. EX dictis inferes, quod si non repugnaret qualitas infinitae intensiois in actu, gratia Christi hanc infinitatem habuisset.

Probatur primò hoc corollarium: Si Christus suis meritis assecutus fuisset gratiam, foretque possibilis infinita intensio illius, eam suis meritis obtinuisset; nam illius merita, cum essent valoris infiniti, ad gratiam infinitè intensam haberent condignitatem, & aliàs absque fundamento solido pactum ex parte Dei, & ordinatio ex parte Christi ad illam promerendam negarentur: Ergo

A licet Christus absque meritis gratiam obtinuerit, si tamen foret possibilis infinita intensio gratiae, de facto fuisset ei infusa. Paret Consequentia, aliàs melius fuisset Christo gratiam per merita quam sine meritis obtinere, & isto excessu sine causa fuisset privatus, quod asserendum non est.

Probatur secundo: Gratia infinitè intensa humanitatem Christi, ob illius conjunctionem ad Verbum, deceret, cum sit dispositio illam concommittans, ut disp. 10. ostensum est: Ergo si illa esset possibilis, de facto fuisset humanitati Christi collata.

Confirmatur: Deus taliter erga Christum se gessit, ut omnia dona unioni hypostaticae, & visioni beatificae non repugnantia ipsi concesserit, & hoc ob dignitatem Verbi terminantis humanitatem: Sed gratia infinitè intensa, nec visioni beatificae, nec unioni hypostaticae repugnaret, imò istam maxime deceret: Ergo si gratia infinitè intensa esset possibilis, de facto fuisset humanitati Christi concessa, ob dignitatem Verbi terminantis humanitatem. Sicut etiam si possibilis esset omnium possibilitium cognitio, de facto Christus omnia possibilitia cognosceret; quia similiter omnium possibilitium cognitio humanitatem Christi deceret, ob dignitatem Verbi illam terminantis.

Dices, Gratia infinitè intensa ad finem redemptionis necessaria non est, utpote cum non ex illa, sed ex gratia unionis infinitas meritoria & satisfactoria in operationibus Christi sumatur: Ergo cum gratia non minus abhorreat à superfluo quam natura, etsi gratia infinitè intensa foret possibilis, non fuisset tamen humanitati Christi collata.

Sed contra: Infusio gratiae habitualis in primo instanti conceptionis, ad finem redemptionis non fuit necessaria; & tamen quia humanitatem Christi ob dignitatem Verbi decebat, Theologi fatentur eam ab initio conceptionis habuisse: Ergo similiter, quamvis gratia infinitè intensa ad finem redemptionis necessaria non esset, quia tamen humanitatem Christi, ob dignitatem Verbi, deceret; si fuisset possibilis, de facto humanitati Christi concessa fuisset. Addo quod, si haec instantia valeret, sequeretur non fuisse infusam Christo gratiam habitualement, illa enim ad finem redemptionis non erat necessaria simpliciter, cum non ex illa, sed ex gratia unionis, seu infinita dignitate personae divinae, infinitas meritoria & satisfactoria in operationibus Christi sumatur.

ARTICULVS II.

Utrum in Christo sit gratiae plenitudo, subindeque gratia tam intensa, ut omnem gratiam Angelorum & hominum collectivè sumptam excedat?

§. I.

Quibusdam praemissis, prima difficultas resolvitur.

Suppono primò ex D. Thoma hic art. 9. duplicem posse dari gratiae plenitudinem: alteram intensivam, quae sumitur ex intensione illius in anima; alteram extensivam, quae est ex virtute operativa illius, quae ad omnes ejus effectus se extendit.

Suppono secundò ex eodem S. Doctore art. 10. plenitudinem intensivam gratiae adhuc esse du-

placem: alteram formalem quæ se tenet ex parte ipsius gratiæ, quando scilicet habetur in maxima excellentia & intentione quæ potest haberi de potentia ordinaria: alteram subjectivam, se tenentem ex parte subjecti; quando nimirum subjectum habet omnem gratiam ad suum statum seu officium pertinentem, & à divina providentia & sapientia omnia in numero, pondere, & mensura disponente & producente, præordinatam & præparatam.

38. Suppono tertio, quod licet gratia Christi intensivè finita sit, ut articulo præcedenti ostendimus, tam copiosa tamen & intensa est, ut non modò eam nullius puræ creature gratia excederit, sed ne æquaverit quidem. Unde Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 34. exponens verba illa Job: *Non adequabitur ei topazium*, ad sanctos homines aptat, qui quantalibet sanctitatis prærogativâ præfulgeant, Christo æquari vel comparari non possunt, quia omnes quotquot stoliditatem aliquod sanctitatis sunt adepti, è Christi fonte hauserunt gratiam. *Dum in Deum* (inquit) *conversa gentilitas credidit, ex ea multis ita sunt dono Spiritus locupletati, ut quasi multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed ne acceptis quisquam virtutibus exollatur, à sancto viro nunc dicitur: Non adequabitur ei topazium de Ethiopia, ac si aperte dicat: Nullus sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundi collectus, æquari et potest de quo scriptum est, quod nascitur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et exponens illud Canticorum 1. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol*, hoc refert ad sponsum, seu animam, quæ à Christo vero iustitie Sole proficitur se decoloratam. *Sol* (inquit) *eam decoloravit, quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit. Sunt quippe nonnulli qui in hac nocte mundi, velut stelle hominibus fulgent, & luminaria proximis apparent: sed mox ut iustitie Christi se comparant, quasi sine luce sunt, qui bene incomparabiliter prius hominibus lucebant.*

39. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, unde solùm difficultas est, an in anima Christi sit gratiæ plenitudo, eaque tanta, ut non solùm intentionem gratiæ conjunctæ hominis, vel Angelis, sed omnem etiam gratiam Angelorum & hominum collectivè sumptam excedat: Pro resolutione

Dico primò: in Christo est plenitudo gratiæ, tam intensiva, quàm extensiva, secundum potentiam Dei ordinariam, nec tantum ea quæ se tenet ex parte subjecti, & subjectiva dicitur, sed etiam quæ se tenet ex parte ipsius gratiæ, & formalis appellatur.

40. Prima pars hujus conclusionis patet: Tunc enim habetur plenitudo gratiæ, tam intensiva, quàm extensiva, secundum potentiam Dei ordinariam, quando habetur in ea intensio quæ major dari non potest ex divina ordinatione, & se extendit ad omnes effectus gratiæ, juxta eandem ordinationem possibiles: Sed talis est gratia Christi, ut statim dicitur: Ergo in Christo est plenitudo gratiæ, tam intensiva, quàm extensiva, secundum potentiam Dei ordinariam.

41. Secunda vero pars suadetur. Et in primis quod in Christo sit plenitudo gratiæ se tenens ex parte subjecti, manifestum est: Tunc enim aliquis dicitur habere plenitudinem gratiæ ex parte subjecti, quando habet omnem gratiam statui & offi-

A cio ad quod à Deo eligitur necessariam, ut in secunda suppositione declaravimus: Sed Christus habet gratiam necessariam ad dignitatem Capitis & Redemptoris, ad quam à Deo electus est, cum Deus unicuique det gratiam juxta exigentiam officij ad quod eligitur, quia eligendo aliquem ad aliquod officium, non supponit, sed reddit ipsum idoneum: Ergo in Christo est plenitudo gratiæ se tenens ex parte subjecti.

Quod autem etiam in eo sit plenitudo gratiæ se tenens ex parte ipsius, probatur triplici ratione D. Thomæ hic art. 9. Prima est: Quantò aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tantò abundantius ipsius influxum recipit: Ergo anima Christi, quæ propinquius conjungitur Deo inter omnes rationales creaturas, ratione unionis hypostaticæ, maximam recipit influentiam gratiæ ejus.

Secunda: Anima Christi gratiam recepit, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios: Ergo oportuit quod haberet maximam gratiam; sicut ignis qui est causa caloris in omnibus calidis, est maximè calidus. Quam rationem eleganter expendit Novatianus in libro de Trinit. cap. 19. his verbis: *Spiritus Sanctus habitat in Christo plenus & totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulè distributus & missus; ut ex illo deliberationem quandam gratiarum ceteri consequi possint, totius Sancti Spiritus in Christo fonte remanente, ut ex illo donorum atque operum vena ducerentur, Spiritu Sancto in Christo affluenter habitante.*

Tertia: Anima Christi habuit gratiam ad omnes operationes vel effectus gratiæ, quia ei fuit data tanquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam: Sed virtus primi principij alienius generis, universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis; juxta Dionysium 4. de divin. nomin. & Philosophum dicentem quod primum in unoquoque genere est causa ceterorum illius generis: Ergo in Christo est plenitudo gratiæ formalis, & tenens se ex parte gratiæ.

Aliam rationem insinuat idem S. Doctor art. 12. in corp. ubi sic dicitur: *Sicut aliarum formarum est ex divina sapientia determinata propria mensura, ita & gratiæ, secundum illud Sapient. 11. Omnia in numero & pondere & mensura disposuisti. Mensura autem unicuique formæ presignitur per comparisonem ad suum finem: sicut non est major gravitas, quàm gravitas terra, quia non potest esse inferior locus loco terra. Finis autem gratiæ est unio creaturae rationalis ad Deum: non potest autem esse nec intelligi major unio creaturae rationalis ad Deum, quàm quæ est in personâ; & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ.*

Hanc gratiæ Christi plenitudinem diligenter enucleat Toletus in cap. 2. Joan. annot. 47. & in cap. 1. Lucæ annot. 104. eamque eleganter expressit Laurentius Justinianus, libro de casto conubio Christi & animæ cap. 10. his verbis: *[Multimodè cognoscitur illius gratiæ plenitudo, in Christo namque fuit gratia sufficientiæ, quæ in iusto quolibet reperitur. Fuit gratia copię, quæ Apostolis donata est, Spiritu Sancto super ipsos descendente, sicut scriptum est, repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Fuit gratia universalitatis, quæ est in Ecclesia, cui nullum deest donum. Fuit gratia excellentiæ, quæ Beate Virgini concessa est. Fuit gratia superfluentiæ, de qua dicitur, plenum*

gratia & veritatis. Fuit quoque in ipso mediatore à sui conceptione *gratia capitis*. Non solum autem in quantum Deus caput est Ecclesiae, sed etiam in quantum homo, & influit motum & spiritum gratiae in cunctos qui illi copulantur per fidem rectam, vel fidei sacramentum. Fuit etiam gratia unionis, de qua supra dictum est. Hæc Iustinianus de plenitudine gratiae Christi. Sed cave ne putes hanc tantam diversitatem gratiarum, ex quibus hanc plenitudinem constat, constare ex multiplicibus formis supernaturalibus specie diversis; unica enim gratia Christi habitualis, vel unio hypostatica, ad illa omnia sufficit.

§. II.

Duo corollaria notatu digna.

47. EX dictis inferes primò, plenitudinem gratiae formalem esse propriam Christo, non verò plenitudinem subiectivam.

Prima pars hujus corollarii patet ex supra dictis, solus enim Christus habet gratiam, & in maxima excellentia seu intensione quæ haberi potest de lege Dei ordinaria, & in maxima extensione ad omnes gratiae effectus.

Secunda etiam manifesta est: Tunc enim aliquis dicitur habere plenitudinem gratiae subiectivam, seu ex parte subiecti se tenentem, quando habet omnem gratiam ad suum statum seu officium pertinentem; & secundum mensuram ei à Deo præfixam, ut in secunda suppositione declaravimus: At non solum Christus, sed etiam sancti habent gratiam intensam secundum mensuram à Deo præfixam, juxta illud Pauli ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Similiter plures sancti habuerunt omnem gratiam ad eorum statum & officium pertinentem, unde idem Apostolus ad Ephes. 3. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hac illuminare omnes &c.* Ergo plenitudo gratiae subiectiva, non est propria Christi, sed pluribus Sanctis convenit. Quare S. Doctor hic art. 10. ad 1. *Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratia, quia non habuit gratiam in summa excellentia quâ potest haberi, nec ad omnes effectus gratia, sed dicitur fuisse plena gratia per comparisonem ad ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa à Deo, ut esset scilicet mater unigeniti ejus. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum de alijs. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiore vel inferiorem statum. Unde inter omnes sanctos Beatissima Virgo, utpote ad dignitatem matris prædestinata, plenitudinem gratiae subiectivam perfectissimè habuit, ut differt declarat D. Bernardus homil. 3. super *Misus* est, his verbis: *Legimus in Actibus Apostolorum, Stephanum plenum gratia & Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto, sed longe dissimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; nec illi conceperunt de Spiritu Sancto, quomodo Maria.**

48. Inferes secundò, In Christo plenitudinem gratiae formalem, coincidere cum plenitudine gratiae subiectiva: quia est in illo in summo secundum

A determinationem divinæ voluntatis & sapientiæ, nam inter gradus gratiae quos Deus impertiri decrevit, supremum Christo concessit. Non sic in alijs sanctis, & ideo in illis plenitudo gratiae subiectiva, cum plenitudine formali non coincidit, sicut in Christo.

§. III.

Alia difficultas expeditur.

Dico secundò: gratia Christi habitualis intensione superat totam gratiam Angelorum omnium simul sumptorum. Ita Alvarez disp. 37. & Suarez disp. 22. sect. 2. in fine, & alij, sequiturque ex jam dictis: Nam si anima Christi gratiam recepit, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios; & si de plenitudine ejus omnes creaturæ rationales accipiunt quasdam tantum gratiae particulas, nunquam adæquabunt, etiam simul collectæ, ejus plenitudinem, sed illa totam gratiam Angelorum omnium & hominum simul sumptorum intensione superabit. Et certè ita sentire decet de vero iustitiæ Sole, & gratiarum omnium fonte. Sicut enim Sol plus solus lucis habet, quam quævis lucida inferiora; ita & Christus plus sanctitatis & gratiae fortitur solus, quam simul omnes sancti in cælo & in terra, habentes de plenitudine ejus exiguum participationem. Item sicut fons plus aquæ habet, quam rivi omnes ad quos ab ipso aqua defluit; ita & Christus, quem pulcherrimè fonti gratiae comparat S. Bernardus serm. de nativitate. Deiparæ, uberiorem gratiam sanctificantem adeptus est, quam omnes simul qui ab eo gratiam hauriunt. Et hoc quia est unigenitus, & Filius naturalis: propterea dicitur ad Hebræos 1. *Tanto melior Angelis effectus* (non solum in gratia unionis, sed etiam in gratia habituali) *quanto differentiùs præ illis nomen hereditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te?* Unde Cyrillus lib. 1. in Joan. cap. 17. *Sancti veluti verba in domo sunt, filius autem in domo sua versatur. Ex quo infert quod alij Sancti habuerunt quadam gratia munera, Christus amplam & totam hereditatem.* Et Hieronymus in cap. 11. *Isaiæ: Quia in ipsa complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, nequaquam per partes, ut in cæteris Sanctis, sed juxta Evangelium quod Hebræi sermone conscripserunt legunt Nazareni, descendit super eum omnis fons Domini.* Ergo Scripturæ & Ss. Patribus consonum est asserere, gratiam Christi habitalem, totam gratiam Angelorum & hominum, simul & collectivè sumptam, intensione superare.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

E Obijcies primò contra primam conclusionem: Gratia Christi non fuit infinita intensivè, sed potuit augeri, ut dicemus articulo sequenti, & similiter non produxit in Christo omnes virtutes quæ ab ea solent emanare, nimirum fidem, spem, & poenitentiam: Ergo nec intensiva nec extensiva plenitudo gratiae fuit in anima Christi.

Respondet, cōcesso Antecedente, negando Consequentiam, licet enim gratia Christi intensivè finita fuerit, fuit tamen summa quæ ex Dei ordinatione danda erat, quod sufficit ut anima Christi plenitudinem gratiae habere dicatur, & collectionem

fectionem totius gratiæ omnibus alijs tum Angelis tum hominibus collata excedere. Ad illud quod subiungitur de fide & spe, quæ non fuerunt in Christo, respondet D. Thomas hic art. 9. ad 1. quod fides & spes nominant effectum gratiæ cum quodam defectu qui est ex parte recipientis gratiam, in quantum scilicet fides est de non visis, & spes de non habitis: unde non oportet quod in Christo, qui est author gratiæ, fuerint defectus quos importat fides & spes, sed quidquid est perfectionis in fide & spe, in Christo est multo perfectius. Sicut in igne non sunt omnes modi caloris defectivi ex defectu subiecti, sed quidquid pertinet ad perfectionem caloris.

52. Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Gratiæ habitualis fuit collata Christo à principio suæ conceptionis, juxta dispositionem liberi arbitrij, per actum charitatis, ut disp. præcedenti dictum est: Sed videtur impossibile quod unicus actus charitatis in illo instanti conceptionis elicitus, fuerit tam intensus vt excederet intensiorem actuum charitatis Angelorum, subindeque exigeret intensiorem gratiam, quàm sit in omnibus illis collectivè sumptis: Ergo gratiæ habitualis Christi Domini, non excedit in intensiōe omnem gratiam Angelorum & hominum simul sumptam.

53. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: Christus enim à primo conceptionis momento ardentissimam charitatem erga Deum exercuit, eamque usque adeò intensam, ut præ ea non modò sanctorum quorumlibet virorum tantopere inter nos celebrati ardores, sed etiam Cherubimorum & Seraphinorum incandea, planè frigerant, ut luculenter ostendit Joannes Avila Tractatu in illud *Audi filia*, cap. 78. 79. & 80. latine expresso à Rossignolio lib. 3. discip. Christ. perfectionis cap. 26. Ratio etiam id suadet, Nam perfectio charitatis in Deum, ex perfectione & charitate notitiæ quæ cognoscitur, metienda est, cum cognitio intellectus sit regula actuum voluntatis: At Christus per scientiam infusam, & visionem beatificam, Dei vultum & infinitam eius pulchritudinem, à primo conceptionis momento clarissimè conspexit: Ergo actus charitatis quem tunc elicit (sive illius regula dicatur esset visio beata, sive actus scientiæ infusæ) ferventissimus fuit, & adeò intensus, ut omnium actuum charitatis Angelorum & hominum intensiōnem ac fervorem exccleserit. Ex quo inferit S. Thomas infra qu. 35. ar. 4. quod Christus in primo instanti suæ conceptionis accepit non solum tantam gratiam quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus majorem.

54. Obijcies tertio: Si quæ ratio suaderet ponere tam intensam gratiam in Christo, maximè quia est caput Angelorum & hominum; & sic in ipso tanquam in capite debet contineri omnis gratia in membra derivanda: At ex ratione seu dignitate capitis non rectè colligitur tanta intensio gratiæ, sed potius oppositum: Ergo &c. Major patet ex suprà dictis, Minor verò suadetur. Debet esse proportio & analogia inter caput naturale & morale, & inter corpus naturale & mysticum: Sed in corpore naturali esset magna improporatio, si caput exccederet in quantitate molis totum corpus: Ergo similiter in corpore mystico erit improporatio, & veluti monstruositas, si gratia Christi ut capitis, excedat vel adequet secundum intensiōnem omnem gratiam totius corporis collectivè sumptam.

55. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, Tom. IV.

A ad cujus probationem dicendum est, quod illa analogia & similitudo corporis mystici Ecclesiæ ad corpus naturale, non debet tenere in omnibus, sed in aliquibus; quadrat enim illa similitudo quoad influxum qui à capite derivatur in membra, & quoad eminentiam ejus supra alia membra, & quia sicut in capite sunt omnes sensus, ita & in Christo fuerunt omnes gratiæ, ut ait Augustinus Epistolâ ad Dardanum. Deficit tamen in hoc, quod quia in naturalibus, præsertim in viventibus, forma substantialis vendicat sibi determinatam quantitatem, tum in capite, tum in membris, ut suas operationes vitales exercere valeant, necesse est ut caput naturale minorem quantitatem molis habeat, quàm totum corpus. Ceterum gratiæ habitualis, quæ est forma quâ vivificatur corpus mysticum Ecclesiæ, non vendicat sibi determinatam intensiōnem, sed potest augeri in infinitum, ut articulo sequenti dicemus. Unde in capite corporis mystici, potest reperiri magis intensa gratia, quàm sit in omnibus alijs, absque eo quod influxus capitis in membra impediatur; quin potius ad dignitatem & excellentiam capitis pertinet, vt in tanta abundantia fuerit ei collata gratiæ habitualis.

B Obijcies quarrò: Plures Sancti in Scriptura dicuntur pleni gratiâ, sicut & Christus, vt B. Virgo, D. Stephanus, & Apostoli: Ergo gratiæ Christi habitualis, totam gratiam Angelorum & hominum simul sumptam, non videtur in intensiōne excedere; nulla enim major intensio vel abundantia concipi potest, quàm plenitudo.

C Sed negatur Consequentia, ut enim suprà dicemus, cum aliqui Sancti in Scriptura pleni gratiâ dicuntur, hoc de plenitudine subjectiva, quæ solum importat omnem gratiam ad statum & officium ad quod à Deo vocati sunt pertinentem, intelligendum est. Cum verò Christus plenus gratiâ appellatur, hoc de plenitudine non solum subjectiva, sed etiam formali intelligi debet, id est de gratiâ existente in summa intensiōne quæ de lege & potentia Dei ordinaria haberi potest, ut suprà declaravimus. Unde bellè Origenes homil. 29. in Lucam: *Quando legis in Evangelio, Iesus autem plenus Spiritu Sancto reversus est, & in Actibus Apostolorum ubi dicitur quod repleti fuerunt Spiritu Sancto, vide ne aequales putes esse Apostolos Salvatori: sed & Iesum, & Apostolos, & alium quemlibet Sanctorum, plenos Spiritu Sancto agnosce, secundum mensuram vasculi sui. Et quomodo v. g. si voveris dicere, hæc vasa plena sunt vino & oleo, non statim indicas quod æquali mensurâ plena sint: siquidem aliud sextarium capere potest, aliud urnam, aliud amphoram: eodem modo & Iesus & Paulus pleni erant Spiritu Sancto; sed multò vas Pauli minus erat vase Iesu, & tamen erat secundum mensuram utrumque completum.*

§. V.

Duo Corollaria notatu digna.

EX dictis inferes primò, gratiam habitualement in Christo habere statum perfectum & sibi connaturalem: ut enim aliqua forma in statu perfecto & connaturali esse dicatur, tria potissimum requiruntur, nempe quòd nihil habeat admixtum de suo contrario, quòd sit conjuncta suo principio & fonti à quo derivatur, & quod habeat omnem intensiōnem & plenitudinem sibi connaturaliter debitam. Sicut lux in Sole, & calor in igne, B B B b

dicuntur habere connaturalem statum & modum, quia ibi sunt coniuncta suo proprio principio à quodimaniant, & nihil admittunt de suo opposito, habentque totam plenitudinem & intentionem gradualem sibi connaturaliter debitam: Sed gratia habitualis Christi habet hæc tria: Ergo in ipso statum perfectum & sibi connaturalem habet. Maior patet, Minor verò quoad singulas partes de claratur, In primis enim gratia habitualis Christi est conjuncta gratiæ unionis, & in ea radicatur veluti proprietas in essentia, unde habet proprium fontem gratiæ, scilicet Verbum, sibi conjunctum. Deinde habet ex tali conjunctione carere omni suo opposito, id est peccato, cum Christus per gratiam unionis constituatur ab intrinseco impeccabilis. Item in Christo habet totam intentionem & plenitudinem connaturaliter, seu de lege Dei ordinaria, sibi debitam, ut supra ostendimus: Ergo habet omnia ad connaturalem statum & modum alicujus formæ requisita.

59. Inferes secundo, hanc gratiæ plenitudinem & abundantiam, quam descripsimus, Christum non habuisse particulatim & cum successione, sicut nos, sed in primo conceptionis suæ momento; quo benedicta ejus anima creata est, ita ut deinde nullum prorsus in gratia sanctificante incrementum fecerit. Ratio est, quia plenitudo illa gratiæ habitualis in Christo, à gratia unionis, ut rivus à fonte manavit, unde Joan. 1. dicitur: *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate*: At Christus à primo instanti conceptionis gratiam unionis habuit: Ergo & plenitudinem gratiæ habitualis. Unde Isaiæ 11. Spiritus Domini, hoc est, interprete ibi D. Hieronymo, fons Spiritus Sancti, & tota gratia Christo aliquando obventura, dicitur requietura super florem egredientem de radice Jesse; hoc est super Christum, cum primum conceptus est. Hinc Abbas Guerrius serm. 2. de Annunt. bellissime observat, Christum in Scriptura appellari germen, & florem, & fructum, quia sine gradu profectus, ab initio conceptus sui, omni virtute & gratiâ in seipso extitit perfectus. Hinc etiam D. Bernardus serm. 2. super *Missus est*, Christum sub specie viri à femina circumdati describens, ait: *Sive igitur latens in utero, sive vagiens in praesepio, sive iam grandisculus interrogans Doctores in templo, sive jam perfecta ætatis docens in populo, æquè profecto plenus fuit Spiritu Sancto: nec fuit hora in quacunque ætate sua, quâ de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, aliquid minueretur, vel aliquid eidem adiceretur, sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit Spiritu sapientiæ & intellectus, Spiritu consilii & fortitudinis, Spiritu scientiæ & pietatis, & Spiritu timoris Domini.*

60. Nec obstant verba illa Lucæ 2. *Iesus autem proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ*. Illa enim in primis possunt referri ad gratiam corporis & speciositatem pueri Iesu, ut sensus sit puerum Iesum in dies pulchriorem corpore & speciosiores apparuisse: frequens namque est, ut vox gratiæ sumatur pro pulchritudine corporis, iuxta illud, *fallax gratia & vana est pulchritudo*. Nec obest quod talis gratia, gratia Dei, vel coram Deo, ab Evangelista appelletur. Hoc enim videtur posse accipi iuxta idiotismum Hebræum, usurpatum à S. Luca, tamen Græcè scribente, tamen inter Hebræos tādū versato, scripturis assuetum, ita ut idem sit gratia Dei, quod summa & exquisita pulchritudo: sicut eminentissimi montes, & arbores proce-

A rissimæ, Montes Dei, & Cedri Dei, in Scriptura appellantur.

Quod si gratiam pro interna gratia accipiamus, quæ videtur pervulgata interpretatio tradita à SS. Patribus, dicendum est cum S. Thoma hic art. 12. ad 3. Christum profecisse in sapientiâ & gratiâ, non secundum ipsos habitus sapientiæ & gratiæ augmentatos, sed tantum secundum effectus; quia scilicet, ætate crescēte, opera perfectiora faciebat. Eandem interpretationem adhibet D. Bernardus homil. 2. super *Missus est*, ubi postquam ostendit summam Christi gratiam & sapientiam, nullum incrementum successu temporis suscepisse, addit, *Nec te moveat quod de illo legis in alio loco: Iesus autem proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines. Nam quod de sapientiâ & gratiâ hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est. Non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quod ante non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur. Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum vis, proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer Iesus, qui disponit tuam, ipse disponebat & suam, & quando volebat, & quibus volebat sapiens apparebat; quando & quibus volebat, sapientissimus. Similiter & cum omni gratiâ semper plenus fuisset, sive quâ apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamē arbitrio, eam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo, quia semper Iesus virilem animam habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit.*

Ad maiorem hujus interpretationis elucidationem, observat Toletus in eiusdem Lucæ locum, quod in Scriptura nomine sapientiæ & gratiæ, non intelliguntur solum ipsi habitus scientiæ & gratiæ sanctificantis, sed ipsa etiam opera & verba, quæ à sapientiâ & gratiâ procedunt, ut 2. Paralip. 9. & 3. Regum 10. & Lucæ 11. dicitur Regina Saba vidisse sapientiam Salomonis. Et Ecclesiastis 10. *Verba sapientis gratia*, id est gratiosa. Et Jacobi 1. *Hæc est religio visitare pauperes*, id est hæc sunt opera religionis. Quando ergo dicitur ab Evangelista, quod Christus proficiebat sapientiâ & gratiâ, tale incrementum, non ad ipsos habitus sapientiæ & gratiæ, sed ad opera ipsa & verba referri debet; quia nimirum secundum ætatis incrementum, Christus opera sapientiora edebat, sapientiora quoque verba loquebatur, & perfectionibus gratiæ & sanctitatis operibus incumbebat.

Dices, Eodem modo dicitur Christus profecisse in gratiâ, quo in ætate & sapientiâ: Sed verè in ætate profecit, & non solum in operibus ætati proportionatis; verè etiam in habitu sapientiæ profecit, quia esto scientia infusa Christi non fuerit magis intensa, decursu tamen temporis, habitus scientiæ naturalis acquisivit, juxta D. Thomam infrâ quæst. 9. art. 4. Ergo etiam in habitu gratiæ crevit.

Respondedo quod licet eisdem verbis de gratiâ, ætate, & sapientiâ, Evangelista loquatur, non tamen eodem sensu, eo quod incrementum ætatis & profectus in habitibus acquisitis, non obstant statui comprehensionis, existētis jam in termino, sicut obstat incrementum gratiæ intrinsecum: gratia enim cum est in termino, incrementum non suscipit, unde in beatis gratia non augetur intrinsecè, quia in termino est: Ergo cum Christus à primo instanti conceptionis esset beatus & comprehensor

ejus gratia nullum incrementum intrinsecum A poterat suscipere.

64. Non defunt etiam aliqui ex SS. Patribus, qui ut à prædicto Evangelistæ testimonio facilius se expediant, docent quod Christus dictus est per ipsa ætatis incrementa crescere in gratia, sicut in sapientia, non in sua persona, sed in suo corpore mystico, cujus perfectio dicitur fuisse Christi, quia Scriptura sæpe tribuere solet capiti, quæ membris ipsius conveniunt. Ita Damascenus libro 3. de fide cap. 22. & Dionysius Alexandrinus contra Paulum Samosatenum in responsione ad questionem 5. ipsius Samosateni,

ARTICULVS III.

Vtrum gratia habitualis Christi, de potentia Dei absoluta, augeri possit?

65. **D**ixi gratia habitualis, quia certum & indubitatum est, sanctitatem à gratia unionis proveniente augeri non posse, tum quia est infinita simpliciter, tum etiam quia est donum substantiale, & consequenter incapax incrementi. Addidi, de potentia Dei absoluta, quia cum in Christo sit gratia plenitudo tam intensiva quam extensiva, de lege Dei ordinaria possibilis, ut articulo precedenti ostensum est; & gratia ejus sit C comprehensoris existentis jam in termino, manifestum est, illam de lege & potentia Dei ordinaria augeri non posse. Unde solum restat difficultas & controversia inter Theologos, an de potentia saltem absoluta, major intensivè esse possit?
66. Negativam partem docuerunt Durandus, Scotus, D. Bonaventura, Ricardus, & ex Thomistis Cajetanus, & Nazarius. Sed opposita sententia multò videtur probabilior, & doctrinæ D. Thomæ conformior, eamque docent communiter Theologi, tam domestici, quam extranei, unde sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

- D**ico igitur: Gratia Christi habitualis potest esse major intensivè, de potentia absoluta. Probatur primò ex D. Thoma infra quæst. 10. art. 4. ad 3. ubi sic ait: *Dicendum quod sicut supra dictum est de gratia, quod non potest esse major gratia Christi, per respectum ad unionem Verbi, idem etiam dicendum est de perfectione divina visionis, licet absolute considerando possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem divina potentie.* Ex quibus verbis hoc potest deduci argumentum: Eadem ratio est, quoad augmentum intensivum, de gratia habituali, & de visione beatifica; cum gratia habitualis, ut est in patria, sit radix luminis gloriæ, & visionis beatificæ: Sed visio beatifica terminum augmenti non habet respectu potentie Dei absolute, cum datà quacunque visione, possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem divina potentie, ut asserit Sanctus Thomas; Ergo etiam gratia habitualis terminum augmenti non habet, sed potest quacunque datà in infinitum augeri, subindeque gratia habitualis Christi potest esse major intensivè, de absoluta Dei potentia. Unde idem S. Doctor hic art. 12. ait quod *virtus divina potest facere aliquid majus & melius, quam sit habitualis gratia Christi.* Ubi loquitur de gratia Christi in esse qualitatis, ut patet ex argumento ad quod responderet, quod sic

Tom. IV.

procedebat: *Augmentum gratia fit per virtutem divinam: Sed virtus divina, cum sit infinita, nullo termino coarctatur: Ergo videtur quod gratia Christi potuerit esse major.*

Probatur secundò conclusio: Eadem est ratio de augmento gratia, ac de augmento charitatis: Sed charitas Christi, de potentia absoluta, potest esse major intensivè: Ergo & ejus gratia. Major patet, cum enim charitas consequatur gratiam, ut proprietas essentiam, charitate crescente, ipsa gratia crescere debet. Minor verò probatur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 24. art. 7. in corp. ubi sic discuitur: *Ipsa charitas secundum rationem propriam speciei, terminum augmenti non habet, est enim participatio quedam infinita charitatis. Similiter etiam causa agens charitatem est infinita virtutis, scilicet Deus. Et similiter etiam ex parte subiecti terminus præfigi non potest, quia semper charitate crescente, superexerescitabilitas ad hujusmodi augmentum.* Ergo charitas terminum augmenti non habet, sed datà quolibet quantumcumque intensà, potest amplius & amplius intendi; & per consequens ipsa charitas Christi, quamvis intensissima, de potentia absoluta, potest esse major intensivè.

Respondet Cajetanus 2. 2. quæst. 24. art. 7. Divum Thomam loqui de charitate viatoris, de qua verum est, posse in infinitum crescere, non autem de charitate absolute respectu omnis status; cum enim ad statum termini vel comprehensoris charitas pervenit, ipsam amplius augeri repugnat.

Sed contra primò: Ratio quæ D. Thomas probat charitatem terminum augmenti non habere in ordine ad potentiam Dei absolutam, æquè probat de charitate patriæ, ac de charitate viæ: Ergo nulla solutio. Probatur Antecedens: Ratio quæ utitur est quia Deus efficiens charitatem, est infinita virtutis; potentia receptiva illius limite caret; & charitas ex sua specie terminum augmenti non petit: Sed tria ista illuminationis capita, tam bene reperiuntur in charitate comprehensoris, ac in charitate viatoris: Ergo ratio D. Thomæ probat, quamlibet charitatem, sive sit viatoris, sive comprehensoris, posse crescere in infinitum.

Secundò, Eadem est ratio de charitate patriæ, ac de visione beatifica: Sed ex D. Thoma supra citato, visio beatifica terminum augmenti non habet, respectu potentie Dei absolute: Ergo nec charitas patriæ.

Probatur tertio conclusio ratione fundamentali: Potentia divina, cum sit infinita simpliciter, nullo finito termino coarctari potest: Sed gratia Christi habitualis intensivè finita est, ut art. 1. demonstravimus: Ergo de potentia Dei absolute potest magis intendi, & in esse physico esse major & perfectior, quamvis in esse moris, & secundum valorem & dignitatem moralem quam habet ex persona Verbi cui conjungitur, augmentum suscipere nequeat, quia (ut ibidem ostendimus) sub hac ratione infinita est.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2. loquens de humanitate Christi ait: *Omne quod pertinet ad perfectionem gratie collatum ei fuit.* Et ibidem in secunda solutione subdit, quod *nulla posset esse major gratia, cujus capacitas creata sit capax, nec*

Bbbb ij

posset facere aliquam capacitatem quæ non esset creata. At si gratia Christi posset intensivè augeri, non fuisset illi collatum quicquid pertinet ad perfectionem gratiæ; cum major illa intensio ad rationem gratiæ attineret, & humanitati collata non fuisset. Similiter si gratia Christi de potentia absoluta posset esse major intensivè, in natura creata esset capacitas ad maiorem gratiam, cum implicet dari augmentum intensivum gratiæ in creatura, nisi in illa sit capacitas ad illud recipiendum: Ergo juxta D. Thomam, gratia habitualis Christi non potuit intensivè augeri, de potentia Dei absoluta.

72. Respondeo D. Thomam loco citato non loqui de gratia habituali Christi, in ratione qualitatis, & secundum quod est capax intensiois; sed secundum quod habet rationem dispositionis concomitantis vel consequentis unionem hypostaticam; sub qua ratione extrinsecè infinita est, ut art. 1. declaravimus. Unde loquendo de illa ut sic considerata, verum est, collatum ei fuisse quicquid pertinet ad perfectionem gratiæ, & non esse in natura capacitatem ad maiorem gratiam, quia nulla gratia potest ad maiorem & nobiliorem unionem disponere, quam sit unio personalis ad Deum. Quod autem hæc interpretatio sit legitima, & Sanctus Doctor de gratia habituali Christi, considerata in ratione dispositionis concomitantis vel consequentis unionem hypostaticam, loquitur, patet ex solutione ad 3. ubi sic ait: *Perfectio ad quam disponit gratia, est conjunctio ad Deum; & hæc est multiplex, scilicet in augmento, & per speciem: unde quantumcumque crescat gratia viatoris, non potest esse similis gratia comprehensoris secundum actum, quomodo virtute possit esse major; & eadem ratione, quantumcumque crescat gratia persona creata, non potest pervenire ad gratiam creaturæ assumptæ in unitate personæ, quæ ad unionem disponit quodammodo, nisi & ipsa assumeretur; quia non est aliorum modus possibilis creaturæ quo conjungatur Deo, quam per unitatem personæ, ideo supra dictum est (solutione ad 2.) quod capacitas creata non potest amplius gratiam recipere.* Hæc S. Thomas: quibus verbis aperte declarat, in responsione ad 2. locutum esse de gratia habituali Christi, in ratione dispositionis ad unionem hypostaticam consideratam.

73. Obijciens secundò: D. Thomas hic art. 9. docet gratiam fuisse plenam in Christo, & secundum virtutem operativam, quia in illo se extendit ad omnes effectus gratiæ, & secundum intensioem in summo. Ex quibus verbis duplex potest argumentum confici. Primum est: In Christo est plenitudo gratiæ intensiva, tam ex parte formæ, quam ex parte subjecti: Sed talis plenitudo gratiæ in Christo salvari nequit, nisi sit tanta, quod de potentia etiam absoluta Dei augeri nequeat: Ergo gratia Christi habitualis non potest esse major intensivè, de potentia absoluta Dei. Major patet ex dictis articulo præcedenti, Minor probatur. Ille tantum dicitur propriè plenus, qui secundum eam capacitatem quæ aliquid in se continet, non potest amplius recipere; sicut vas dicitur propriè plenum aqua, cum non potest plus aquæ recipere: Ergo ut Christus propriè plenus gratiâ intensivè dicatur, oportet quod habeat tantam intensioem gratiæ, ut non possit habere maiorem, etiam de absoluta Dei potentia. Secundum argumentum est: Gratia habitualis, jux-

ta Divum Thomam, fuit in Christo in summo intensiois: Sed quod est in summo, augeri nequit, etiam de potentia absoluta: Ergo gratia habitualis Christi non potuit augeri de absoluta Dei potentia.

Ad primum argumentum respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem dicatur, duplicem esse possibilitatem: alteram de potentia absoluta, alteram de lege ordinaria; & similiter duplicem plenitudinem duplici illi possibilitati correspondentem. Id dicitur plenum plenitudine formæ de potentia absoluta, quod non potest amplius illius formæ de potentia absoluta recipere; & id dicitur propriè plenum de potentia ordinaria, quod non potest de lege ordinaria plus talis formæ recipere. Licet autem Christus plus gratiæ de potentia absoluta recipere potuisset, & ideo nequeat dici propriè plenus gratiâ plenitudine de potentia absoluta possibili, non potest tamen plus gratiæ recipere, de lege & potentia ordinaria; & ideo dicitur propriè plenus gratiâ plenitudine potentie Dei correspondenti.

Ad secundum distinguo Majorem: Fuit in summo intensiois, de lege ordinaria possibili, concedo Majorem. Possibili de potentia absoluta, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Itaque quod est in summo, augmenti incapax est, juxta modum quo est in summo. Ceterum iste modus est duplex, nimirum in summo de lege ordinaria, & in summo de potentia absoluta: gratia autem habitualis fuit in summo intensiois de lege ordinaria, non de potentia absoluta; ideo licet non potuerit de lege ordinaria augeri, bene tamen de potentia absoluta.

Obijciens tertio: Singulis qualitatibus datur certus terminus augmenti, ultra quem augeri nequeunt; & hoc maxime in proprietatibus, quæ commensurantur suis principiis à quibus connaturaliter procedunt: Ergo cum gratia habitualis Christi sit proprietas unionis hypostaticæ, quæ est perfectissima causa possibilis, debet esse summa in Christo quæ potuit esse, subindeque incapax intensiois & augmenti.

Respondeo qualitates naturales, quia respiciunt potentias naturales & finitas, habere terminum augmenti proportionatum ipsis potentiis quibus debent commensurari; & similiter proprietates commensurantur suis principiis, si verè sint proprietates, naturaliter & necessariò ab illis emanantes: neutrum verò reperiretur in gratia, quia non recipitur in anima, ratione potentie naturalis, quæ est finita, sed ratione potentie obediæntialis, quæ syncategorematicè infinita est, subindeque capax recipiendi gratiam intensiorem & intensiorem in infinitum; neque etiam est proprietas propriè dicta gratiæ unionis, cum hæc sine gratia habituali esse potuerit, unde producit a Deo per novam actionem, & liberè, subindeque non sequitur illam esse infinitè intensam: quando enim causa est libera, non oportet quod effectus adæquet virtutem illius, quia non agit secundum ultimum potentie, sed determinatur effectus & quantitas illius, per liberam operantis voluntatem. Debit tamen gratia Christi esse summa secundum potentiam Dei ordinariam, seu secundum definitionem divinæ sapientiæ, quia valde fuit decens quod gratia quæ habet exornate maximam unionem creaturæ rationalis cum Deo, qualis est hypostatica, sit summa in ordine ad po-

rentiam Dei ordinariam. Et hoc solum intendit A
D. Thomas hic art. 12. dum sic discurret: *Mensura unicuique forme prefigitur, per comparationem ad suum finem, sicut non est maior gravitas quam gravitas terra, quia non potest esse inferior locis loco terra: finis autem gratia est unio creature rationalis ad Deum; non potest autem esse nec intelligi maior unio creature rationalis ad Deum, quam qua est in persona, & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratie.*

DISPUTATIO XIV.

De Gratia Christi capitali.

Ad questionem 8. D. Thomae.

TRiplex in Christo datur gratia, nempe gratia unionis, gratia habitualis, gratia capitalis. De duabus prioribus, praecedentibus disputationibus fuisse pertractatum est, unde superest nobis agendum de tertia, de qua S. Doctor quaest. 8. per octo articulos differt.

ARTICULUS PRIMVS.

Vtrum Christus ut homo sit caput Ecclesiae?

Ratio dubitandi est, quia si Christus esset caput Ecclesiae, etiam esset membrum illius: Sed Ecclesiae membrum non est, nec dici potest: Ergo nec caput. Sequela Majoris probatur. Si Christus dici posset caput Ecclesiae, talis denominatio ei conveniret per similitudinem & analogiam ad caput corporis humani: Sed caput corporis humani est membrum illius: Ergo similiter si Christus esset caput Ecclesiae, etiam esset illius membrum.

Dico tamen, Christum ut hominem esse caput Ecclesiae.

2. Probatur primò ex Scriptura, Paulus enim ad Ephesios 1. de Christo sic loquitur: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus &c. Et omnia subiecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. Quae de Christo ut homine manifestè intelligenda sunt: nam ut Deus, non fuit à Patre suscitatus, neque ejus beneficio constitutus ad dexteram suam, & rebus omnibus praepositus, cum naturaliter & absolute necessitate sit ejusdem essentiae, & aequalis dignitatis cum Patre. Adde quod haec verba, Omnia subiecit sub pedibus ejus, de Christo, nedum ut Deo, verum etiam ut homine, intelliguntur, ut egregie explicat Angelicus Doctor ibidem lect. 8. his verbis: *Per pedes intelligitur infima pars corporis, per caput verò suprema: licet autem in Christo divinitas & humanitas non habeant rationem partis, tamen divinitas, quae est supremum in Christo, intelligitur per caput, 1. Corinth. 11. Caput Christi Deus: humanitas verò quae infima est, intelligitur per pedes, Psalm. 131. Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Est ergo sensus quod omnia creata non solum subiecit Pater Christo, in quantum est Deus, cui ab aeterno omnia subiecta sunt, sed etiam humanitati ejus. Ergo de Christo secundum humanitatem loquitur Paulus, cum docet illum esse caput Ecclesiae.**

Tom. IV.

A Probatur secundò conclusio: Ecclesia est corpus per analogiam ad corpus naturale, ut constat ex Apostolo 1. Corinth. 12. & Roman. 12. sic dicente. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo: Ergo Christus est caput Ecclesiae, per analogiam ad caput naturale. Probatur Consequentia, tum quia corpori caput respondere debet, ne corpus monstruosum sit, & nullum aptius quam Christus assignari potest. Tum etiam, quia non minus verificantur de Christo quae capitis propria sunt, quam de Ecclesia quae sunt corporis. Ut enim egregie discurret S. Thomas hic art. 1. caput corporis humani tria habet quibus alias partes corporis antecellit, scilicet superioritatem, est enim prima, incipiendo à superiori: perfectionem, quia in capite vigent omnes sensus interiores & exteriores, in ceteris autem membris solus tactus reperitur; & virtutem, seu causalitatem, motus enim ceterorum membrorum, eorumque gubernatio, à capite derivatur, propter vim sensitivam & motivam in capite dominantem. Haec tria verò competunt spiritualiter Christo, nam gratia illius est prior, si non tempore, saltem intentione Dei, vel exemplariter, est enim omnis gratiae nostrae exemplar, juxta illud ad Rom. 8. *Quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imagini Filij sui.* Est etiam perfectior, cum sit in Christo omnis plenitudo gratiae, juxta illud Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiae & veritatis.* Item habet virtutem influendi in omnia Ecclesiae membra, nam ut dicitur Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus: Ergo &c.**

Hanc rationem desumpsit S. Thomas ex Apostolo ad Coloss. 1. ubi loquens de Christo, sic ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiae.* Et rationem statim reddit, subdens: *Qui est principium, primogenitus ex mortuis: ac si diceret, quia est principium. Ecce primam capitis proprietatem, scilicet prioritatem. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. En secundam ejus praerogativam, nimirum perfectionem. Et per eum reconciliare omnia. Haec est tertia capitis proprietas, seu praerogativa, virtus scilicet & influxus in cetera membra Ecclesiae. Unde*

E Ad rationem dubitandi initio propositam, respondeo primò, negando sequelam Majoris, ad cuius probationem dicendum, hanc esse differentiam inter caput naturale & morale, quod caput naturale, non solum habet rationem capitis, sed etiam est membrum naturale totius corporis, quia à toto corpore, & partibus ejus, commodum & utilitatem recipit: caput autem mysticum, seu morale, non habet rationem membri, quia à partibus corporis, vel ab ipso corpore non dependet. Ita S. Thomas in 3. dist. 13. quaest. 1. art. 1. ad 6. ubi sic ait: *Quia in corpore naturali caput non solum influit aliis membris, sed etiam ab illis recipit, ut nutrimentum & alia obsequia, ideo & caput dicitur & connembrum: Sed Christus secundum quod homo, non recipit aliquid ab aliis Ecclesiae membris, sed à solo Deo, unde non potest dici connembrum, secundum quod caput Ecclesiae dicitur ipse secundum humanitatem.*

Secundò cum eodem S. Doctore ibidem responderi potest, Christum esse caput Ecclesiae secundum divinitatem, & etiam secundum humanitatem: unde Ecclesia potest dupliciter sumi, vel prout habet pro capite Christum ut Deum, vel prout habet pro capite Christum ut hominem;

Bbb ij